

S. D. G.

DISSERTATIO
HISTORICO - POLITICA
DE

THEODOSIO M.
ROMAN. AUGUSTO,
Ejusque
EXCOMMUNICATIONIS
MORALITATE SEU
INJUSTITIA.

Cujus

PARTEM POSTERIOREM,

Cum Consensu Ampliss. Senatus Philos.
in Regia Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

VIRO CL.

Mag. ALGOTHO A.
SCARIN,

Histor. & Polit. Professore Ordin.

Pro GRADÙ

Publ. eruditorum examini modeste submittit
HENRICUS H. ALANUS,

In Auditorio Majori ad diem xii. Dee.

CIC 1725.

HOLMIÆ, literis WERNERIANIS.

Illusterrissimi , Excellentissimique
Supra laudem Invidiamque positi
PARENTIS,
Summæ Spei,
Excelsæ Indolis,
Eminentisque virtutis
FILIO
NATU MAXIMO,
Perillustri & Generosissimo
COMITI ac DOMINO,
DN. CAROLO
BONDE,
COMITI de Biörnöö &c. &c.
Ut jam
LITERARUM CULTORI
Ac
ÆSTUMATORI incredibili,
Ita olim
LITERARUM MÆCENATI
certissimo.
Per-

Perillustris & Generosissime
Domine COMES,

Habent, COMES Generosissime, pro laetis auspiciis & felicioris vitæ omini bus Musarum Alumni, si quem Mæcenatem, ceu DEUM tutelarem, venerari ac colere ipsis liceat. Præsertim dum in eo sunt, ut rite exantlatis in Musarum castris laboribus, præmiis quibusdam beneficiisq; publicis mactari, cohonestarique gestiant. Ad munera enim & dignitates festina est accessio, ubi apud S:M R:M M TEM magni Mæcenates honorum Candidato acclamaciones plaususque impertiant. Multa tunc ad nutum, plurima supra spem & vota contingere vidimus. Quare, non sine gravissima caussa, qualibet commoda occasione, Mæcenates & Patronos sibi facere student, quo sic adjuventur ac promoveantur. Hoc, non diffiteor, nomine etiam ego TE imprimis, COMES Generosissime, sollemni musarum ritu, publico hocce pietatis sym-

symbolo adorare , felix mihi faustum-
que putavi. Rationem vero præterea
venerabundi hujus ausus hanc , rogo,
accipias: Non sane possum non singula-
ri cum oblectamento animi ejus recor-
dari temporis , quo b. genitori meo, sa-
crorum Antistiti Ecclesiae spongaensis,
in celebri ibidem non minus, quam lon-
ge amœnissimo splendissimoque BON-
DIANO Prædio Heslebyensi, Sum-
morum , Perillustris COMES Tuo-
rum Parentum præsentiam reveren-
dicopia data fuit : quando etiam in Illu-
strissima sæpe concione , suo qualicun-
que defungi pontificio, & simul ingen-
tis gratia ac beneficentia specimina, ab
Excelsa domo BONDIANA varie &
liberaliter exhibita, captare & expe-
riri felicissime ipsi licuit. Ego vero
tunc, ut etiam num, immaturus & in-
dignus , Illustris adeo conspectus ful-
gorem veritus, solum arripui occasionem,
TIBI, Generosissime COMES, paulla-
tim innotescendi : cuius mira, ac in-
tanta fortuna plane incredibilis huma-
nitas atque modestia, omni spe celerio-
rem aditum ad summam mihi gratiam
fecit

fecit. Hujus autem gratiae cum
documenta mihi tunc multa dare, Ge-
nerosissime COMES, voluisti; tum ean-
dem insuper ipsam, ubi, fatis ita ju-
bentibus, patriam mihi repetere ne-
cessum fuit, atque TIBI Mæcenati meo
futuro valedicere, dextræ sacramento
firmare. Quocirca, biennii licet tem-
poris mora, terrarum mariumque in-
terjectu separatus fuerim, nullus dubi-
to, hoc devotæ mentis interpretamen-
tum, quod in Fano Tuo honoris, Comes
Generosissime, submisse apponere ausim,
miti ac sereno vultu a Te suscep-
tum iri: quin potius ea teneor fiducia, me insu-
per, TE interprete, illius Domini Il-
lustrissimi Excellentissime gratiam
plausumque esse captaturum, cuius lau-
des, ob ingentium operum virtutumque
magnitudinem, vel consequi verbis ne-
mo potest, vel in illis dicendis meas al-
tem dictionis siccitas ac inopia, etiamsi
maxime vellem, ad dignam verborum
pompam exsurgere nequit. Est hic ille
S:AE R:AE M:TIS Summae Fidei Vir,
Cui, Per illustris COMES, TU lucem
sanguinemque cum spiritu generoso &
plane

plane heroico debes. Is, qui non solum
Holmiae Regii Collegii, quod rem ibidem
Metallicam ordinat, Præses est Excel-
lentissimus. Verum etiam nunc, apud
Carelos nostros Nylandosque, in Regio
extra ordinem constituto Judicio Censò-
rio, sacrum Præsidis munus, insigni cum
gloriæ splendore & publica utilitate,
ita obit, ut ad afflictas omnium atque
singulorum res corrigendas, opitulan-
dasque, saluberrima jam dies noctesque
ineat consilia. Quam sacratissimam
legationem ut robustis compleat auimi
corporisque viribus, jubeat DEUS T.
O.M. Hunc, quem dixi, MÆCENATEM
LITERATORUM maximum, incom-
parabilem, Tua, Per illustris COMES,
sollicitatione, Tuoque suasu, meas quo-
que fortunas adjuturum, non omniino
vana auguror opinione. Quod vero
ipsum, cur per Te fieri e re visum sit,
facile dixerim. Qvum videlicet ex-
ploratum habeam perspectumque, am-
bientium prensantiumque multitudi-
nem ad ostia modo dicti Illustris Judicij
Censorii, sacrum Ejus Præsidem, que-
reliis, precationibus, negotiisque nescio
quibus,

quibus, ad lastitudinem usque onera-
re; juxta intelligere potui, si & ego in
tanta supplicantium turba, tumultua-
rio aliquo interstreperer sermone, tan-
tasque interpellarem curas, non nisi
inanem id sapere arrogantiam, me-
ramque esse temeritatem. Non igitur
alium cogitavi, nisi TE, ceu gratiorem
ipsis Gratiis sobolem, ab indulgentissimo
Parente, clienti supplici gratiam faci-
le impetraturum, admissionem, opem
atque salutem. Utrum enim fas est
aliud credere de Nato, cui larga manu
plurimas & prorsus insignes natura dotes
ubique distribuit? Indolem, supra vulga-
rem longe eueclam; virtutem excellen-
tem; eximium formæ decus; tantum in
Musis colendis ardorem vigoremque, ut
antequam ex pueris excesserit, promptus
arripuerit & hilaris non nisi viris tradi
solita: & cujus jam paullo adultior æ-
tas inter ingenii certamina Viros longe
præterit, immo etiam acerrimos discipli-
na vincit ac supergreditur. Hujus tam
excellentis, inquam, prolis, Hujus, Avitæ
virtutis Paternique decoris ex asse hæ-
redis, ab Amantissimo Maximoque Pa-
rente

rente honesta petentis, clientemque diligenter commendantis, minime irritas fore precationes, certissime præsagit animus. Ad hujus namque, ceu auspicati cuiusdam sideris exortum, vero solidoque gaudio, summi gestiunt Paren tes: ob hæcce magna exspectationis vadi monia Patria lætatur; Musarum cohors exultat. Thura igitur & libamina, quæ ad Aram Divini Numinis, pro excelsæ Domus BONDIANÆ, Ejusque cunctis hæredibus, submisse consecrata volo, hæ ex candido devotoq; animo preces erunt ardentissimæ: ut in Patriæ Gentisque decus, inter seros Nepotes, in longum se latumque diffundat, lucemque semper eandem, hoc est, gemma magis corruscantem spargat, illustre ac Patriæ deliciis merito annumerandum Nomen BONDIANUM. Vale! Scripsi Aboæ, Anno O.R. MDCCXXV. die xxiv. Sept.

Perilluistris ac Generosissimi
Domini COMITIS

Venerabundus cultor & cliens
HENR. ALANUS.

Amplissime & Consultissimo Domino
Dn. HENRICO THURONIO,
Judici Territoriali dexterissimo,
Avunculo meo Carissimo.

Item

Spectatissimæ

PRUDENTIAE & DIGNITATIS
VIRIS,

Dn. CLAUDIO ALANO;
Præfecto Postarum & Directori A-
boëns. Adcuratissimo, Patrui
loco semper venerando.

Dn. JOANNI SCHELE,
Civi & Mercatori inter Aboënses
Adm. conspicuo.

Dn. PETRO SVND,
Senatori & Mercatori Helsingforsiae
Prudentissimo, Honoratisimo.

Inter

Inter fortunæ meæ incrementa etiam
id ceu peculiare numerabo . si &
Vos , **PATRONI** ac **FAUTORES**
propensissimi , quos publico hocce cul-
tus honorisque ministerio prosequi mi-
hi visum est , tenue hoc & minus poli-
tum opuscolum solito vicissim favore
complecti dignemini . Precibus ad
DEUM O M suspiriisque , de con-
tinuo *Vestro flore* , maximeque salu-
tarium publico negotiorum successibus
haud interruptis , juxtaq[ue] debitis , &
officiis , & obsequiis , me *Vobis* nun-
quam defuturum , vel ipsi experie-
mini .

Speciatiss. Nom. Vestr.

observantissimus cultor

HENR. ALANUS.

Q. D. B. V.

CAPUT TERTIUM.

THESIS PRIMA.

- I. *Thessalonicensem tumultum, cœn gravem justamque, indignationis Theodosii, causam proponit.*
- II. *Cædem plurimorum, ex affectu Imperatoris factam exhibet.*
- III. *In numerum etiam ac tempus occisorum inquirit.*

§. I.

OMnis humanitatis sensu adeo prodigos nonnunquam reperiri homines, ut beneficiorum non obliviscantur modo, sed & odio furere incipient aduersus eos qui contulerunt, Thessalonicensium certe ferox ingratitudo testatur. Quippe illi, virtute incredibili & clementia Imperatoris Theodosii, e tyranni faucibus pridem erepti, nefarios aduersus eundem tumultus illico excitare incipiunt. Non itaque levis momenti res est, maledicæ & perduellis civitatis, adversus optime meritum Principem motæ seditionis consideratio; ut-

D

pote

pote ex qua cuivis facillime constare poterit, de Principis pietate accensa, dolorisque animo concipiendi justissima causa. Populi impietatem* fuisus sic exponit Sozomenus a) Bothericheum temporis apud Illyrios militum Praefecti, auriga, pincernam Domini impudice intuitus, de stupro interpellarat; eaque de causa comprehensus, in vinculis erat. Instante autem sollenni equestri certamine, populus Thessalonicensis illum, velut eam ad concertationem necessarium, dimitti postulabat. Quod quoniam non impetrabat, Χαλεπήν γάστη, gravem tumultum excitavit, ac tandem etiam ipsum Bothericham interfecit. In eadem seditione orta, subdit Theodoreus b) Magistratus aliquot saxis obrutos & contumeliose tractatos fuisse. Tribus itaque maximis sceleribus, sanctissimum Principem, Melanchton c) censet, εἰς ἀμετρού ὁγγῆς, ut loquitur Sozomenus,

* Non dissimilem vindicatē patriæ & publicæ libertatis gratiam Parenti Principis nostri ab ingratis civibus fuisse relatam. vid. apud Orosium, 7:33. a) Sozom. Hist. Eccl. lib. VII. cap. 24. b) Theodoret. Hist. Eccl lib. V. cap. 16. c) Melanchth. in Chronic. Carion. lib. III. de Theodosio.

menuſ , d) a Thesſalonicenſibus irri-
tum fuiſſe. Primo quod noluerint puni-
ri tantum ſcelus aurigæ : inde quod fe-
ditationem in cauſſa turpiſſima moverint :
& denique Praetorium aliosque viros no-
biles trucidaverint. Propter has tantas
cauſſas , verba ſunt Melanchthonis , cum
Princeps iuſto dolore exarferit , non existime-
tur deliquiſſe more tyrannorum , qui propter
nullas aut leves cauſſas magnam ſævitiam ex-
ercent et ſi excessit modum . Sed in magnis viris ne-
mefis valde inflammatur. Quam Melanchtho-
niſ excuſationem non de nihilo aut levem
fuiſſe , ex ſequentiibus pateſcet.

§. II.

Prudenter non minus quam vere , Re-
gum ſapientiſſimus Salomon dicit : Nun-
cios excandefcentiæ Regis mortis nun-
cios eſſe e) & quemadmodum Leonis
rabiem , ita quoque Regis temere laceſſi-
ti in primis extimescendam iracundiam :
quippe cujus modum & temperamentum
cum privatim & leviter offendit cives æ-
gre fervent: in Princepe magis excuſan-
da venit, ſi in imperio, quod manus præ-
longas habet & univerſorum viribus in-

D ſtruſtum

d) Sozom. loc. cit. e) Prov. 16. v. 14.

structum est, gravius exardescat. Edocti
hujus divini effati veritatem maximo suo
periculo Thessalonicenses, temere stimu-
lato Leone potente atque feroci, insa-
niam sibi mortemque accelerantes. Qvum
enim nunciatum esset Theodosio M.
quam beneficij nuperrimi immemor iste
populus, effrenato & præcipiti furore ma-
jestatem patriam violasset, omnemque
qua ad istam diem Romana res stetisset,
publicæ disciplinæ auctoritatem solvisset,
ira & indignatione admodum incensus,
nullis adhibitis judicibus aliis, in ipfissimo
iræ æstu, cohortem militum in urbem
misit, qui seditionis licentiam coërcerent,
sumtoque de perduelli civitate acri sup-
plicio, majestatem imperii profanatam
denuo consecrarent. Ad effectum fune-
sti consilii, quantum virium contulerunt
iræ ministri? Sicuti Leo ad truculentiam
incitatus, certis neleit contineri limiti-
bus ita vindicta, ab imperatore commoto,
in Thessalonicenses valde delinquentes
statuta, cædem civium stragemque fecit
inusitatam. Nempe ut ordinem & mo-
dum, quem in violando, per summam
injustitiam, Principe, promiscue nullum
tenuerant cives; eundem in lacienda
iterum

iteum iterumque imperii majestate ut servarent sceleris perpetrati vindices, populumque ad Circenses invitatum sine discrimine trucidarent, imperavit. Quo facto non in illos duntaxat, qui in theatro, ad ludos spectandos, congregati fuerant, saevitum est: sed toras quoque progressi milites, quotquot reperiebant, homines cujuscunque sexus & aetatis, ceu hostes publicæ pacis, atque securitatis districtis gladiis interemerunt; donec numerus internecioni ab Imperatore destinatus, repletus esset. Ita, insontium æque ac fontium civium non modo, verum etiam peregrinorum maxima facta est laniena: atque adeo illius vulgati: *ad male patrata sunt atrata theatra parata, tristi ab ipsis experientia comprobata veritas erat.* Gravissimum omnino Thessalonica, urbs urbium totius Illyrici scelus perpetraverat. Parricidio enim & crimine perduellionis reipublicæ sese obstrinxisse, imo verendam summi Numinis majestatem ne quiter violasse eandem non dubitamus afferere. Quod duplicatum crimen, præ ceteris nefarium, gravissimo prosequi affectu, cum ad restituendum decus & deinceps in tuto collocandam incolumita-

tem turbatæ reipublicæ, admodum per-
tinuerit: si per omnia quæ factum cir-
cumstant & conseqvuntur momenta, ex-
cusari non possit, (furori enim non nihil,
neque omnem crimiñi ultionem datam
vereor) magis tamen ab intentata a cle-
ricis noxa tyrannidis Theodosium, quam
Ambrosii in excommunicando Principe
& Domino suo præposterum Zelum, ab
injustitiæ suspicione vindicari posse arbi-
tramur. Etsi enim primo intuitu, eo ipso
facinus immane videatur, quod in inno-
centes, peregrinos etiam, imperii seve-
ritatem exercuerit, adeoque modum in
puniendo quadantenus excederit; tamen
ideo tyrannidis crimen, cum Ambrosio,
Imperatori impingere velle, nimis forte
rigidum atque in majestatem, quam in
terris sanctissime gessit, irreligiosum fo-
ret. Etenim si attenderimus ipsa Impe-
rii fundamenta, seu pactum, q'io omnis
civitas coalescit, a parte civium impie
violatum, concipiendæ ab Imperatore
justæ indignationis caussam illico in prom-
tu habebimus. Quem enim controver-
siarum, non ex proprio affectu, sed pu-
blico judicio decidendarum modum fo-
rensem, legitime constitutæ majestati
paullo ante receperant, illum in caussa
inju-

injustissima non singuli sed universi per rebellionem violantes, non potuerunt non ejusdem juris & processus bellici arbitrium permettere Imperatori, quem, perrupta fœderis, beneficio sanciti, religione, ipsi priores violaverant. Dixi beneficio sancitum fœdus. Quem enim in liberis identidem reprehendere sollemus animum degenerem, ut maximorum beneficiorum nomine, quibus mercedem se pro merito non posse persolvere videant, nunquam tere parentes tam impense diligent, quam a parentibus ipsi amantur: eundem multo flagitosiorem aduersus PATRIÆ PATERREM, suumque sospitatorem exercuerunt Thessalonicenses; quippe indignam existimantes vitam, cuius acceptæ puderet, libertate in illo maxime abusi sunt, per quem eandem modo accepissent. f) Quod, si tranquillo reipublicæ statu, ex levi & privata caussa, poenam tantæ atrocitatis communitati urbis tam vastæ & populosæ inflixisset Imperator, a tyrannidis suspicione eundem ægre absolveremus. Jam vero ubi de re, legibus divinis & humanis illicita, seditionem ad-

versus imperium excitarunt, renunciantesque vitæ civilis conditioni, hostili ne dicam belluino more adversus Principem justum & benificum, quem loco Dei revereri oportuerat, agere cœperunt, si rigidum & strictum jus sequamur, ab altera parte forte adeo neque graviter peccatum videbitur, facta ab ipsa quoque ad bellum & Martem, læsæ innocentia vin dicem, magis secura animi provocatione. Neq; est, quod quisquam existimet minus ex officio sibi superne demandato egisse Imperatorem, cum ad vindicandum sacram Imperii auctoritatem, quæ Ecclesiasticam absorbet, animum ille adjiceret, quam Ambrosium, cum prætensam hierurgiæ potestatem assertum & propagatum accederet. Quod si enim receptis in nostra civitate legibus justum habetur, ut homicidii dolosi culpam, si reus ipse inveniri nequit, luant provinciales, mulcta capitatis & bonorum innoxiiis & non consciis etiam imposita. g) Si ecclesiæ canones justum sanciant, ut ob perpetratam fæc dotis aliusve ecclesiastæ involuntariam cædem, non ipse patrator modo sed & ipsum

g) Kongl. M:ß Placat angående Enappha nerij d. 22 Jan. 1677. Confer L. L. Drapm. B. L. 25. item Dens. 21.

ipsum oppidum aut pagus absolute excommunicetur , in quo periit homo religiosus b) remanet pœnam gravissimam , ex gravissimo majestatis & perduellionis crimine inflictam civitati consciæ & ad seditionem usque ingratæ , tyrannidis & laniatus non absolute condemnari posse.

i) Non negaverim magis convenienter
tum gloriæ & securitati suæ , tum publi-
cæ utilitati egisse optimum Principem , si
medicorum ex præscripto , ad sanandam
affectam hanc corporis politici partem, ve-
nam non ultra quam necesse fuit , inci-
disset ; & memor indolis & ingenii popula-
ris irascentis & miserescentis , ut præsens
affectio moverit , periculoſo facinori pa-
tientiam iterum iterumque opposuisset :
ſaltem in maxime noxia factionis capita,
aut ſi investigari illa nulla arte poſſent,
decimatione in quosdam animadvertisſet,
ut metus ad omnes, poena ad paucos per-
veniret ; in primis cum catholica iſta &
promiscua animadversione , non potuerit
non innocentia multorum quoque suppli-
cio involvi & absorberi , qualem pruden-
tiam politicam in retundenda Montanæ

D 5 Uni-

b) Conring, de jud. Germ. VI. §. 77. fin. i) Son-
tes insontesque manet promiscua pœna. Mi-
nerva de Jovis ira apud Homer.

Universitatis seditione GUSTAVUM I.
 Suethiæ Regem adhibuisse Chronicorum
 illius ævi fide constat. Licet enim re-
 bellium civium, quod non in ipsum mo-
 do vindicem eorum multa contumeliosis-
 sime projecissent, sed & præfectos illius
 ad mortem verberassent, promiscua
 cœde fidei violatæ, iræ & justæ caussæ,
 (judicium est Schefferi) k) satisface-
 re potuisset, maluit ille tamen gloriæ
 suæ quam iræ obsequi nonnullorumque
 ex flagitosissimis supplicio contentus esse.
 Promiscuæ autem multitudini ducibus nu-
 datæ, gratiam facinoris fecit, ita tamen,
 ut quæ opibus metallicis & privilegiis inso-
 lens facta esset, æquali deinde cum ceteris re-
 gni civibus conditione esset, & omnia subje-
 ctionis officia Regi præstare cogeretur. l)
 Ast cum in Antiochena urbe contumeliosa
 atque rebelli, clementiæ & moderationis
 suæ luculentum specimen paullo ante de-
 dissit Theodosius, propositoque isto pu-
 blice lenitatis exemplo ad pietatem & be-
 nevolentiam erga indulgentissimum Prin-
 cipem adeo non provocari potuerunt
 Thessalonicenses, ut exemplo & impuni-
 tate

k) Scheff. mèmorab. XIII. 3. l) Loccen. H. S.
 lib. VI. p. m. 278.

tate eorum ad illudendum Majestati il-
lius magis strenue & petulanter exsusci-
tarentur; existimaverimus non sine caussa,
juris non tyrannidis esse hanc quæstio-
nem, neque adeo multum a prudentiæ
Imperatoriæ regulis deflexisse Imperato-
rem, dum, ad abolendam, in herba, o-
mnem, quæ deinceps emergere posset,
armatam impietatem, piaculari flammæ,
quam huic criminis daturus erat, tantum
permisit, quantum perstringendis horro-
re, ceterorum animis necessarium videre-
tur. m) Et proinde licet in nonnullis
circumstantiis ab æqualitate juris & accu-

rata

m) *Crudelem medicum intemperans æger fa-
cit. Publius ait. Cui assentitur Tacitus ann.
III. 54. 2. Ne corporis quidem morbos ve-
teres & diu auctos, nisi per dura & aspca
coérceas. Corruptus simul & corruptor,
æger & flagrans animus haud levioribus re-
mediis restingvendus est quam libidinibus ar-
descit. Et quod Antiochenos attinet, mo-
do memoratos, illos adeo in munificentiss.
Princ. ingratos fuisse censet Flavianus in
orat. ad Theod. apud Baron. ut si vel omni
supplicio eos necare voluisset, gravitati de-
licti tamen minime responderet. Conf. Zor-
naras Tom. III, p. 121.*

rata re&titudine factum discrepet, meruisse tamen, quod locum inveniat non in flagitiis dominationis, sed inter magna obliquationum exempla, quæ censore politicorum Principe & Coryphæo licet privatim iniquitatis aliquid habere videantur, publica tamen utilitate insigniter compensantur. Verum e diverticulo in viam.

§. III.

In definiendo certo civium numero, quos publica hæc calamitas affixit, per omnia scriptores non conveniunt. Sozomenus certum in clade hacce interemtorum numerum non definit, qvum dicit, n) Ρητὸν ταν προσυγχανότων αριθμὸν ἀντιπεφῆναι προσέταξεν. h. e. Certum numerum eorum, qui obvii fierent obtruncari præcepit. Ne quam fidem rei incertæ & ambiguæ suo calculo adjicere velle videatur Ruffinus, certum peremtorum numerum neque ille exprimit: saltem jussisse ait Imperatorem, ad Circenses invitari populum, eique ex improviso, circumfundimilites, atque ut quisque occurisset, gladio passim obtruncari. o) Zonaras, monachus

n) Sozom. H. Eccl. lib. VII. cap. 24. o) Ruffin. Annal. lib. II. cap. 18.

nachus & a temporibus, quibus hæc o-
mnia acciderant remotior, ἀχρι των περ-
τε και δικα γλαδια, homines circiter
quindecim millium, in theatro congre-
gatos, sagittis jaculisque, necatos ac tru-
cidatos adfirmat. p) Cujus in definiendo
certo occisorum numero, securam animi
promptitudinem partium studii, certe im-
prudentiæ, facillimum erit convincere ex
Theodoreto Theodosii συγχρονῳ, qui
dubitanter & fama non admodum con-
stante, επτά, septem hominum millia,
uti ferunt, interfecta fuisse perhibet q)
Huic vero, quod Paulum Diaconum, Ni-
cephorum ceterosque recentiores scripto-
res Ecclesiasticos a Rechenbergio r) ci-
tatos non ομοψήσει modo invenies, sed
in exprimendo cælorum numero multo
persuasissimos, desines plane mirari, si in
rationem religionis & status illorum tem-
porum penitus introspexeris. Illud cer-
te conscientia premere non possumus,
quod

p) Zonaras Annal. Tom. III fol. 121. q) Theo-
doret. H.E. lib. V c. 17. r) Ad. Rechenb.
Volum. Dissert. Histor. Polit. part. 2 Diff. 1C.
de Theodosio M. excommunicato §. VI. p. 244
seqq.

quod si Zosimus gentilis scriptor & avitæ superstitionis adversus Theodosium & ceteros Christiani nominis Principes, Zelotes acerrimus, de hac numeroſa litrage quidquam inaudislet, cum ceteros minores nævos exagitet, ob hoc factum in primis insigne, fævitie & immanitatis Imperatorem postulare plane non omisisset. Nec frustra & sine cauſa in ipsum tempus inquirimus, quo hoc facinus fuerit peractum: qvum de illo quoque diversæ scriptorum ſint ſententiæ. Post partam a Theodosio M. de Eugenio victoriam: hoc acerbifſimum Thessalonicensibus factum contigiffe putat Sozomenus. Sed hallucinatum hoc in negotio historicum, ſat validis rationibus probat Baronius. ^{s)} Qui ſequutus Ruffinum ^{t)} ac Theodoretum ^{u)} in tempora devicti a Theodosio Maximi, hæc omnia incidere statuit: Anni ſcilicet CHRISTI nati, 390, consulatusque Valentiniani quarti & Neoterii primi, Ipſe Henricus Vallesius ^{x)} etiam

^{s)} Baron. in Anal. Tom. IV. ad A. Chr. 390 conf. Petav. ration. Tempp. I. 6. 8. fin. ^{t)} Ruf fin. Ann. lib. 2. c. 18 ^{u)} Hift. Eccl. l. V. c. 17 ^{x)} in annot. adbunc loc. fol. 156.

etiam Natalis Alexander y) Annalium Ecclesiasticorum, ex recentioribus non contemnendus scriptor, in praesenti negotio Baronio uterque adstipulatur.

THESIS SECUNDA.

- I. Imperatorem, ob stragem factam, ab Ambroſio objurgatum non modo, verum etiam excommunicatum fuisse, monstrat.
- II. Varia eruditorum judicia, de Ambrosii, hoc in puncto, ausu, recenset,

§. I.

PEr pensa breviter expositaque facti hujus Theodosiani serie, ad consequens ejus propior jam fiet accessus. Scilicet postquam perversa cædis fama, in occidentem venisset, Ambrosiique qui ex Praefide Consulari, Praeful factus erat Mediolanensem, auribus multo cum horrore obſtreperet, facinus admisum & urbis calamitatem primum tacite deploravit; deinde ipsum Imperatorem, utpote auctorem facti, quam vehementissime detestari cœpit, meritumque pronunciare quem armis spiritualibus, ecclesiæ & fidelium

y) Select. Hist. Eccl. cap. ult. sec. IV. part. I.
pag. 734. seq.

delium communione vicissim expelleret. Imperator expensa animo facti atrocitate, cognitoque Episcopi ferventissimo Zelo, ut malo huic tempestive occurreret, Mediolanum statim proficisciatur, eo prorsus animo, ut admissum, per indignationem facinus, expiaret. Ceterum quid accidit? Imperatori, qvum in sacras intrare vellet ædes, extra vestibulum constituto adhuc, obviam processit Ambrosius, & ne homo ante publicam pœnitentiam, suo judicio, profanus, crudeli adeo facinore perpetrato, sacra quævis pollueret violaretque, non modo omnem facultatem ingrediendi templum, ipsi dene-gavit, verum etiam verbis durioribus Imperatorem objurgavit, tandemque donec, peracta, publico & solenni ritu, pœnitentia, ecclesiæ reconciliaretur, ab hominum communione exclusit. Orationem, affectus plenissimam, qua usus est Ambrosius, quamvis longior sit tamen qvum ad cognitionem rei gestæ admidum pertineat; ex Theodoreto interprete Henr Vallesio, integrum transscribere non pigebit. r) *Ignoras, inquit, ut puto Imperator, perpetratæ abs te cædis gravitatem,*

Et furore jam sedato, non dum ratio, scelus quod
 commissum est, intellexit. Obstac enim fortasse
 Imperialis potentia, quo minus peccatum agno-
 scas, & rationi tenebris offundit licentia. Na-
 turam tamen spectare oportet, quæ caduca, mor-
 tique obnoxia est, & primitivum pulverem,
 ex quo orti sumus, & in quem resolvimur.
 Nec purpuræ spelndore deceptus, corporis
 quod sub illa tegitur, infirmitatem ignorare
 debes. Ejusdem tecum naturæ hominibus im-
 peras, immo etiam conservis, o Imperator.
 Unus quippe est omnium Dominus atque impe-
 rator, is, qui universa condidit. Quibus igit-
 tur oculis templum communis Domini adspe-
 cturus es? Quibus pedibus sanctum solum cal-
 caturus? Quomodo manus extensis es, in-
 justo cæorum sanguine adhuc stillantes? Quo-
 modo sacrosanctum Domini corpus ejusmodi
 manibus excepturus es? Quomodo pretiosum
 sanguinem admoturus es ori tuo, qui verbo
 furoris tui, tot hominum sanguinem injuste ef-
 fudisti? Abscede igitur, nec posterioribus fa-
 ctis, prius peccatum augere velis. Acci-
 pe vinculum, quod Deus omnium Dominus
 sursum suffragio suo comprobat. Medica-
 bile enim est, & "Tyeias, sanitatis restituendæ vim habet. Hisce reponit Imperator.
 David adulterium simul & homicidium per-

petravit. Sed responsum illico est, qui sequutus es errantem, sequere corrigentem.
 a) Quibus verbis ad obtainendum excommunicationis effectum præpostere interpretatis sanctus hic Imperator, adeo compunctus est, ut totum se luctui tradiderit atque squalori; Episcopi coram frequenti cœtu se objurgantis nec non excommunicantibus, dicto audiens, ingenti gemitu ejulatuque, in palatium revertitur, pœnitentiaque eo tempore receptæ luculenter sese submittit. Quippe per temporis spatum satis longum, veniam serio deprecatus est. Solet pœna illa, qua afficiebatur Theodosius, & inter monumenta pietatis Ambrosianæ diu relata, excommunicationis nomine venire. Cujus varios in veteri ecclesia, deprehendere licet gradus: quorum tamen recensione heic supersedemus, & pedem ad receptissimam excommunicationis divisionem promovemus. Qua communiter in *majorem* & *minorem* dividitur. *Minor* dicitur, qua peccator ab usu, ceu a participacione sacræ cœnæ prohibetur. In veteri ecclesia, quemadmodum hodie quoque locum hæc ipsa penes illos invenit, quo-

a) *Paulinus in vita S. Ambroſii.*

rum peccata non tam enormia fuerant, ut graviori illa censura multari meruerint. Illa enim *Majori* excommunicatio, peccator extreme pertinax, ab ecclesiæ corpore avellitur plane, ejusque conversatione penitus interdicitur. Verum majori ne, an minori excommunicationi adscribendum sit, quod Theodosius ab Ambrosio e cœtu fidelium & communione sacerorum exclusus sustinuit, an ceps quæstio est. Nos ad minorem, seu excommunicationis illum moderatiorem gradum, hanc Theodosio impositam coercitionem non facile referendam arbitramur, sed ad majorem plane, cum Imperatorem ab ingressu vestibuli repulsurum, non solum interminatus sit Ambrosius, sed & *παντελῶς ἀΦοισμένον τῆς ἐκκλησίας καὶ ἀκοινώνητον* totaliter & penitus separatum, aliorumque communione exclusum, reddiderit; quo modo a Balsamone juxta canones ecclesiasticos Major excommunicatio describitur, & a Rechenbergio b) amplius comprobatur. Theodosium autem hanc exclusionem & ab ecclesia separationem passum fuisse, id

E 2

ex

b) *Rech. Dissert. citata §. 12. pag. 270.*

ex Sozomeno ^{c)} in primis infertur: Ἀμ-
βρόσιος τὸν βασιλέα τῆς ἐκκλησίας εἰρξε, καὶ
ἀκοινωνήτου ἐποίησε. h.e. Ambrosius Impera-
torem ab ecclasia arcuit, & a communione se-
clusit. Et quamvis Nat. Alexander ^{d)}
una cum aliis nonnullis in qualemcumque
excusationem præposteri zeli ab Ambrosio
adhibiti, non proprie excommunicatum
Imperatorem, sed Ecclesiæ aditu tantum-
modo prohibitum, & pœnitentiæ adju-
dicatum perhibeat, eos tamen omnes ex
propriis verbis convictos ad assentiendum
veriori & vulgatae sententiæ facile adduci
posse speramus. In primis Nat. Alexander
dum ecclesiæ ingressu & communione sa-
crorum prohibitum Imperatorem, quo-
dammodo excommunicatum, hoc est,
majoris excommunicationis non supre-
num rigorem expertum fuisse ait. Quip-
pe quo palam pertinaces diris devoveri,
ab omni aliorum hominum confortio
prohiberi, sperni denique & membra pu-
tidi instar ab omnibus declinari solent
peccatores. Memorabile prorsus in hanc
sententiam testimonium est Albaspinæi,
citante

^{c)} Sozom. H.E. lib. VII. cap. 25. ^{d)} Nat. Al.
Sel. H.E. sec. IV. cap. ult. parte I. p. 733. seq.

citante Cl. Brunstio e) Excomunicatum, ut membrum putre & resecandum fugiebant. Cum iis rationem inire, aut rem ullam contrahere, nefas erat, nemo eos salutatione, nemo fratriis adpellatione, nemo adspectu, nemo alloquio, nemo convivio eos dignos judicabat. Qualem pœnæ hujus summam atrocitatem ut asseramus Theodosium sustinuisse, nec aliqua nobis ratio suadet, neque annalium fide relatum acceptimus. Quippe quam ab ecclesia, consensu & auctoritate summi Imperantis infligendam, hierarchiæ ecclesiasticæ Patroni ipsi agnoscent, hominibusque, nonnisi refractariis & contumacibus, qui nulla male actorum pœnitentia tanguntur, imponebam sanciunt. Gravissimum igitur dirumque illud ex majori excommunicatione fulmen vix sustinuit, potuit tamen ad convellendam imperii civilis majestatem hæc machina in præsentia sufficere.

§. II.

Qvum igitur extra omnem dubitatis aleam positum est, Theodosium M.

E 3 ab

e) Aug. Christ. Brunst. in *Dissertat.* que inscribitur, quod Ambrosius Theodosium A. S. cætu excludens, majestatis aut aliud grave crimen non commiserit, §. V. p. 130.

ab Ambrosio excommunicatione ecclesiastica & quidem majore mulctatum esse ; Auctorum aliquot de hoc ipso facto judicia omnium primo percensere juvabit. Sunt quidam qui laudibus , & favore singulari hoc Ambrosii factum prosequuntur : Illi qui magno numero , ex allegatione præsertim Cl. Rechenbergii f) nobis innotescunt. Hoc facto pulchrum exemplum omnibus Monarchis edidisse Ambrosium , quanta sit Episcoporum dignitas , si modo vere sint quod audiunt , Erasmus g) censet. Bellarminus h) exemplo hocce Ambrosii Augustum S. excommunicantis , Papo-Cæsariam probare satagit , seu , *Papam habere summam temporalem potestatem indirecte* , adeoque factum Ambrosii majorem in modum laudat , ut pote quod ipsum Pontifici R. adhuc majorem conciliat eminentiam , quippe qui Episcopus Episcoporum audiat Theodorus Beza i) factum ejus nunquam satis laudatum esse,

f) *Ad. Rech. Diff. cit. §. 15. p. 254. seq. g) Erasm. in Epist. nuncup. §. V. opp. Ambr. præfixa. h) Bellarm. de R. Pontif. lib. V. cap. 8. exempl. 3. i) Beza Tract. de vera excom. & Christ. presbyterio contra Tom. Erastum edit. pag. 125.*

esse arbitratur, utpote quem hac in parte
vestigiis Azariæ Sacerdotis institisse, scri-
bit. Weismannus *k)* videre sane non pot-
est, cur non potius laudari & modestia humili
Imperatoris, & generositas Episcopi debeat, quam
vituperari. At plurimos e contra reperire
licet, qui rigidiori paullo censura facinus
hocce perstringunt. Eorum instar omnium
est Thomas Hobbesius *l)* qui Ambrosium
excommunicantem Dominum & Impe-
ratorem suum, criminè læsæ majestatis se
obstrinxisse, ait. Hobbesii cum vereor
ne invidiosum nomen sit, ipsi succentu-
riatum volumus, Carolum Franciscum
Buddeum *m)* magno Parente Theologo
dignam progeniem, quippe qui Ambro-
sum in imperii civilis jura, non excusanda
ratione involasse confidenter asserit. Immo
vero crimen læsæ majestatis commisisse,
quod Dominum Imperii circa sacra a sa-
cris conventibus separaverit. Libera-
lis ingenii judicium hocce, ne præcipi-

E 4

tantia

k) Christ. Eberh. Weism. in Hist. sua Eccl. part. I.
p. 264. l) Th. Hobbes in Leviathan c. 42.
m) C. F. Bud. in Tract cui tit. Untersuchung
*des wahren Grundes, aus welchem die höch-
ste Gewalt eines Fürsten über die Kirche her-
zuleiten, p. II§, conf. Budd. patrem parerg.*

tantia juvenili laborare quisquam existimet, senis & Phœnicis Batavi testimonio suffultum videbimus, cuius hæc summa est n) *Quisquis Romanæ sedis typhum habet perspectum, ignorare non potest, ut Episcopi ejus loci, postquam tantum facinus Ambrosium videre ausum & feliciter quidem ausum, maiores conceperunt spiritus ad efferendum magis & magis so supra omne id, quod dicitur Deus.* Et quamvis ἀπλῶς Ambrosii factum damnare non sustineat; Ejusmodi tamen esse dicit vir πολιτικώτατος, ut illud neque penitus adprobari possit. Neque id ulli imitandum Episcopo, ait, saltem non alii, nisi qui & spiritum habeat Ambrosianum, & cui negotium sit cum eo Principe, qui spiritum habeat Theodosianum. Sane si vel a Schismate vel a persecutione, vel etiam a scandalo metus sit: omnino in persona Regis indulgentia opus est. Huic Ad. Rechenb. o) calculum suum adponit, præcipue, quia nulli sacerdoti aut Episcopo, Reges aut Principes, imperio suo abutentes, coercere aut punire licet. Quamvis enim a Christo sibi commissum

n) Ger. Job. Voss. de jure Magistr. in Rep. Eccl. pag. 52. seqq. o) Ad. Rechenb. Dissert. §. 17. pag. 257. 258. bis adde conf. Cbr. Beccm. pol. parall. XII. 7.

missum habeat officium clavium, illud tam non ad facti injustitiam præcise, sed in primis contumaciam restrictum esse, saltem non semper & ubique includere excommunicationem majorem certo certius est. Illa jus clavium non omne absorbet, & si vel absorberet; quaten⁹ ad effectum perduci non potest sine *imperio*, quale, per se, *ministerio* ecclesiastico sine contradictione non competit: clero certe ad excommunicationem & bannum ex sua saepe indignantis animi sententia irrogandum nullum jus suppetit; id quod in sequentibus pluribus demonstrare conabimur. Impræsentiarum cum testimoniis præsertim agendum sit, colophonis loco addimus judicium consummatissimi pridem Rostochiensium Theologi, quoque censentis p) paullo durius fuisse, quod minatus fuerit Ambrosius, se Imperatorem ab ingressu sacri vestibuli repulsurum esse, que vis externa in summam majestatem est injuria, imo judice Th. Hobbesio læse majestatis criminis proxima. Cetera quibus ad probandam justitiam vibranda excommunicationis adversus Principem gravissimis peccatis notorium utitur, præsertim ad emolliendum præsens

E § factum

p) Jo. Fecht. in Tract. de excom. p, 16,

factum ex officio sacerdotali & consuetudine ecclesiæ repræsentata; ea omnia pro meris principii petitionibus accipit Thomasius.

THESIS TERTIA.

Tria momenta ponit, ceu fundamenta, quibus inconsulti facti Ambrosiani, justa promeritaque, detestatio, nititur.

§. I.

CEnsoram itaque Ambrosii censura strin-
gentes, non possumus ullo cogitatio-
num scrutinio assequi, cur non præpo-
stera, hoc in puncto Episcopi asperitas in-
justitiæ postulari potius atque rejici, quam
adprobari, justaque pronunciari *explicatio*
debeat. Istud vero, ne gratis a nobis po-
stulari videatur, hypothesibus quibusdam
ceu fundamentis id ipsum probare adnite-
mur, & ringentibus licet monopolis sci-
endi Papicoli hodiernis, ad oculum de-
monstrare. Primo in Theodosio M. Im-
peratore excommunicando, potestate clav-
ium legi divinæ convenienter non usum
fuisse Episcopum explicabimus: tum or-
dinem genuinumque processum, divina
lege signatum, haud quaquam observasse:
deinde

deinde non matura deliberatione; tandemque circa objectum reverentiæ & subjectionis civilis, debita circumspectione neque usum fuisse. Ambrosium ecclesiæ lumen & propagandæ divinæ veritatis ministrum strenuum, imo cœlesti & heroica virtute præditum non diffitemur: Verum sorti infirmitatis humanæ exētum plane, non facile quisquam afferere sustinebit, qui nævos & lapsus hominum propiore olim gratiæ divinæ præsentia fulgentium cogitaverit, donumque infallibilitatis in nemine mortalium, præterquam Papa in ipso, quamvis & illud gratis a Pontificiis agnosci solere. Quod alterum jus clavium regni cœlorum, excommunicationem absolute spectatam attinet; sive fundamentum illius potestatis, divinam institutionem in scripturis patefactam, sive praxin Apostolicam, sive etiam Theologorum Evangelicorum labores & sincera judicia evolverimus, plane extra omnem dubitationis aleam possum inveniemus, nonnisi manifestis, pertinacibus & post frequentiores admonitiones obstinati prævaricatoribus pœnam excommunicationis infligendam esse. Reprobæ mentis in facinoroſo emenda-

tio,

tionem & scandalum metuendæ in posterum horrendæ afflictionis in ecclesia justam dare caussam excommunicationis, libri, Ecclesiæ nostræ symbolici agnoscunt: nusquam vero, si peracto facinore, reum peccati sui statim poeniteat, ejusque coram DEO & hominibus condonationem efflagitet, diuturniore quadam ecclesiasticæ censuræ afflictione opprimendum dicitant. q) Delicta publica, præsertim si cum contumacia & proposito in iis perseverandi conjuncta fuerint, a ministro ecclesiæ publice, sed prudenter, h. e. modo in scriptura & ordinationibus ecclesiasticis præscripto, corripienda esse nemo inficias ibit. Quod si vero publice peccans sua sponte vel ab alio admonitus, a peccato recipiscat, in publicam ministerii ecclesiastici censuram non cadet; quippe quorum instructio pastoralis nullam externalm subjecti afflictionem importat, sed ejus tantummodo emendationem, non poenam famæ aut corpori infligendam sed correptionem animi r) cautam atque prudentem

q) conf. Concord. form. ed. Lips. p. 333. r) Solus DEUS habet fulmen quo feriat animam. Erasm. Colloq. quod inscribitur inquis, de fide, init.

dentem inculcat quod modo probavimus.
 Ast perpetrato in Thessalonicenses faci-
 nore, quomodo affectus erat Theodosius?
 An contumax adversus imperium divi-
 num, resipiscientiam & gratiam a mini-
 stro oblatam respuit & ludibrio habuit;
 quemadmodum ad opprobria & vincula
 & pœnam, non læsæ divinæ justitiæ, quip-
 pe cui nulla pœna humana satisfacere
 potest, sed communitati persolvendam
 omnis oratio Antistitis inclinavit? An ex-
 communicationem ille adhibuit, ut erran-
 tem malitiole ovem ad gregem & ovile
 reduceret? Non credo. Contumaciæ e-
 nim, hujus facti nomine, Episcopus ipse
 Imperatorem dudum absolvit, instar Da-
 vidis pœnitentem & absolutionem ejus
 quoque exemplo efflagitantem. ^{s)} Potius,
 ut graviore isthac in modum pœnæ im-
 posita censura, scandalizatæ ecclesiæ, ne
 dicam auctoritati, quam porro prætende-
 bat, munericis sui satisfaceret. Illum Epi-
 scopo finem propositum fuisse oratio in-
 tempestivi affectus, ne quid gravius di-
 cam, plenissima, qua pœnitentia publi-
 ca ex constituto, rite defunctum excepit,
 satis innuit. Quid enim aliud importat
 respon-

^{s)} Ambr. Ep. 28. Conf. Paulin. in vita Ambr.

responsio data *Obscuranti*, ut exemplo Salvatoris ac Domini omnium nostrum, nemini peccatorum suorum pœnitenti jannuam occludentis vincula sibi solveret? Si, flagrante adhuc crimine, rubentis sanguine civium adventum ejus ad aram & ecclesiam tyrannicum t) appellasset, insaniæque contra DEum ejusque leges postulasset, zelo heroico forte non nihil concedendum tuisset. Ast defuncti apud Deum seria pœnitentia, pœnaque foris imposta reconciliati Principis ambitum & adventum ad ecclesiam tyrannidis postulare, ad hierarchicæ tyrannidis, quæ postmodum invaluit, progymnasmata, non injuste referendum censeo. Animum vero, quo non moderatum modo, sed & extra sphæram activitatis suæ evagantem Episcopi zelum exceptit Imperator, ex Theodoreto, quamvis & ceteri consentiant audiamus. His motus verbis Imperator, qui in sacra educatus doctrina sciaret, quæ sacerdotum, quæque Imperatorum essent officia, cum gemitu & lacrimis in regiam revertitur. Longo autem tempore post, menses enim octo aberant, venerat natalitiorum Salvatoris nostri f-

stum.

t) *Theodoret. Hist. Eccl. lib. I. 17.*

stum. At Imperator in regia sedebat“ lamentans & lacrimarum impendens stil-“ licidia. u) Ejusmodi testimonium dolo-
 ris & resipiscientiæ ceterorum scriptorum
 $\sigma\tau\gamma\chi\rho\alpha\pi\alpha\pi$ fide corroboratum , an strin-
 gendæ adversus innoxium Imperatorem
 & Dominum excommunicationis jus infe-
 rat , omnibus non præjudiciis hierarchi-
 cis laborantibus , ex verbo DEI dijudi-
 candum relinquo. Ex sacris certe non
 constat aliquem per octo menses absolu-
 tionis exspectatione suspensum fuisse,
 qui seriam ageret pœnitentiam. Christus
 invitavit ad pœnitentiam publicanos x)
 non communione ecclesiæ & mediorum
 exclusit. Apostoli neque per modum
 jurisdictionis , remissionem peccatorum
 exercuerunt. Pro Iudibrio & plane con-
 tradictorium agnoscit Pufendorfius , pœ-
 nitentiam facti injusti apud DEum urgere,
 profiteri & nihilominus retinere velle
 fructum ex eo facto provenientem. Nos,
 cum serium propositum revertendi ad
 DEum, Imperator noster illico ostenderit,
 ipsi quoque injuriam factam existimamus;
 quod potestas ipsi subtracta fuit commu-
 nicandi de sigillis ecclesiæ & fidei ; verbi
 divini

u) Theodor. lib. V. 18. Conf. Baron. x) Matth. II. 12.

divini auscultatione & sacramentorum participatione. Quam ob rem etiam, quamvis ἀποστολῆς visibili sanctorum communione exclusus fuit, ad invisibilem fideliū ecclesiam nihilominus pertinuisse: hocque intuitu excusso perperam bruto fulmine, nullum in cœlis aut in terra reatum contraxisse adseveramus.

§. II.

Quod excommunicationis justæ, iustam ac genuinam œconomiam attinet, cuilibet eandem accurate penitanti, clarum evadet, excommunicationem Ambrosii injustam fuisse. Istam a Salvatore ipso datam œconomiam in hunc modum deseribit Matthæus: y) Si peccaverit „in te frater tuus, abi & argue eum in „ter te ipsum solum, si te audierit, lu „cratus es fratrem tuum. Si vero te „non audierit, assume tecum adhuc u „num aut duos, ut in ore duorum „aut trium testium consistat omne ver „bum. Quod si non audierit eos dic ec „clesiae. Si vero etiam ecclesiam non au „dierit, esto tibi sicut ethnicus & publi „canus. Quæ ultima verba an abstinen tiam

y) *Mattb. XVIII. 15, seq.*

tiam tantum a conversatione impuri hominis, ex consuetudine ecclesiæ illorum temporum, an jus excommunicationis ecclesiasticæ inferant, ceu rem positam extra præsentis controversiæ statum, in medio relinquimns. Largimur contineri verbis hisce quidquid ad formam excommunicationis pertineat; verum gratis inde tamen extruditur excommunicationis subjectū esse omnem prævaricantem. Tantum obstinate in peccato indurati, qui præcedente admonitione, non ab uno, sed a pluribus, immo universo cœtu, idque sœpius facta, ad agnitionem scelerum adduci nullo modo poslunt, objectum sunt excommunicationis. E contra, quicunque spiritum amoris & gratiam evangelii oblatam non spreverunt, sed cum contritione acceperrunt, eandem non pedibus conculcarunt, sed patentibus ulnis admiserunt: quin imo πνεύμα τῆς χάριτος adeo non ludibrio habuerunt, ut ejus in se convertendo gratiam serio & cum lacrimis efflagitaverint, eos si divinam institutionem sequamur, ab excommunicatione non possumus non immunes pronunciare. Conf. D. Fecht, z) Ad hanc legis divinæ nor-

F

mam

z) In Tract. de Excom. Eccles. p. 252.

mam si Ambrosiana exigatur excommunicatio, tantum abest ut prudenter & legitime eum heic processisse, dicere possimus, ut potius ordinem usurpasse, verbo Dei, exaffe contrarium. Uno enim eodemque momento actuque, Imperatorem admonuit objurgavit & excommunicavit, Unde quoque meridiana luce magis clarum existimamus per modum jurisdictionis civilis circa peccatorum remissionem cum Theodosio egisse, adeoque processum hunc Ambrosianum, per omnia redolere papisticos, ministerii in magisterii dignitatem elevandi modos. Illi, qui temporibus hisce, quibus ecclesiastica munera cum Imperio civili commisceri, & de AntiChristi magis quam Christi regno dilatando laborari cœptum fuit, passim invalerunt: qui, inquam per Christianum orbem tam longe lateque se diffuderunt; ut pro catholica veritate agnoscerentur, & Luthero tandem suo ævo confessionem, quamvis Ironicam extorquerent: Papatum plane Juris Naturalis esse: Illis haud inconvenientem esse, de qua nunc agimus, excommunicationem, ex immatura & prope neglecta aliorum consultatione, facillimum erit conjicere. Res enim

enim magni adeo momenti, non unius tantum deliberatione aut judicio constat, nec unius arbitrio, rite justeque peragiatur: præsertim quod in uno homine affectus inordinati, zelus aliquis præposterus, judicium facile corrumpere possit. Genuinus modus excommunicandi in eo consistit, ut non possit, nec debeat ad excommunicationem procedi, nisi observata deliberatione legitima & consultatione. De hoc vero tanti momenti negotio habere deliberationes, non unius alteriusque ecclesiæ ministri fuit, sed totius ecclesiæ. Aquibus omnibus summus imperans seu magistratus summus adeo non excludi, ut potius ceu eminentis ecclesiæ membrum & custos utriusque Tabulæ includi quam maxime debeat. Quale totius cœtus consilium judiciumque, in procuranda sanitate Principis membra, cuius cum periculo, incolumitas civitatis fere semper conjuncta esse solet, ab Ambrosio vix ac ne vix quidem observatum, ne dum quæsitum invenimus: potius hierarchica sua fretus auctoritate, quæ hebetudine & lethargo quodam laicos horum & sequentium temporum excœcaverat plane, idem illud officium

suum prætermisso dicendus est, bonus, de cetero, Episcopus.

§. III.

Inter alia longe plurima, quæ antequam ad excommunicandum proprio animi consulto Imperatorem processisset, magis exquisita deliberatione opus habuissent, primum illud erat: An non ad ordines Imperii & qui illos subinde repræsentant, proceres regni magis quam officium Ecclesiastæ pertineret animadversio & censura cædis in cives imperii exercitæ: quippe qua, si tyrannica censenda sit, non præcise Christianæ, sed omnis societatis humanæ, in primis vero civilis vitæ vinculum & tranquillitas convelleretur. Si in actibus, ubi concurrunt sacerdotium & imperium, nisi prævia deliberatione cum personis ecclesiasticis, & ceteris quibus interest, de rebus ecclesiæ pro lubitu & absolute decernere nefas habetur, ne qua sanctitati & puritati religionis, ex imprudentia, aliove male sanæ mentis afflatus, labes immineat: Certe non video, quo fundamento nitatur auctoritas, quam prætendit Episcopus noster, ex suæ solius voluntatis impulsu, (beneficio juris & processus

processus rei quoque denegato) dijudicandi & vindicandi caussam, quæ ad universam civitatem tanto magis pertinebat, quanto publica h. e. una cum religione reipublicæ salus, ex ejusmodi cognitionis eventu ut plurimum dependeat.

§. IV.

In primis cum de negotio maximi momenti & periculi: *Jure pænæ Principi civitatis irrogandæ* ageretur, deliberationem & executionem certe sibi non soli permisisset, sed cognitionem tanti problematis, si non omnem, saltem maximam partem, si debita cum circumspectione agere vuisset, ad civitatem detulisset. Nobis cum firmiter animo sedeat illa sententia, quod perinde atque nullam legum condendarum, aut ullius jurisdictionis exercendæ potestatem cives habent, qua tales, postquam penitus & sine exceptione imperium in se aliis transcriperunt: Ita neque subditis in se invicem sine auctoritate Principis, nedum adversus Principem legum exequendarum & vindicendarum jus competere existimamus. Et prout sine contradictione imperium in imperio nullum, nisi specie di-

versum dari : neque in se ipsum quisquam per modum superioris agere potest. Ita nescio quæ non ridicula & monstriosa reipublicæ species exsurgeret , si ad censuram & ad pœnam invicem sese postulare , subdito æque atque magistratui liceret Quæ illa maiestas, quæ imperantes imperio populi subjiceret , & ex populo faceret imperantes , ex imperantibus subditos ? Ad vilitatem certe , opprobrium , lascivam sacræ Maiestatis profanationem & denique omnis rei civilis cessationem res rediret, si illud, quod in Principe beatissimum est , *non cogi* , ipsi adimeremus , coactionisque in Principem exercendæ jus subditis , ceu justum & legitimum adscriberemus De summo rerum humanarum fastigio , ut & illo , quem inter mortales illi loco præposuit , DEUS solus judicat . a) Subditorum nemo citra summam impietatem detestandumque læsæ maiestatis crimem , jus gladii sibi adversus publicum magistratum adserere potest. Id quod apud gentiles juris utriusque Doctor , in politica sua Christiana insuper inculcat , potestati supereminenti individuam jurisdictionem in populum non

popu-

a) Ps. 51:6, conf. Oven. Pering. 35.

populo in ipsam tribuendo. c) Quam ob rem licet cum Hobbesio non facile quisquam statuerit, ad eam conditionis perfectionem adlurgere Imperium civile, ut ab imperante, civibus nulla fieri possit injuria. Id tamen tancte adseveramus, injuriæ criminè & odio non omnem circa bona & vitam civium imperii rigorem traducendum esse. Habentur in republica, privata sentientium libidine, pro manifestis multa, quæ, ex fundamentali civitatis lege penitus considerata, vitiorum numero se per omnia expediunt. Et si quæ improbitas, vitio imbecillitatis humanæ, se nonnullis actibus summorum imperantium immisceat, illius palam, nedum pro lubitu ulciscendæ nulla potestas, in propria caussa præsertim, subditis concessa est, ex quocunque ecclesiæ aut alio sublimi in republica loco emineant. Neque enim unius præ altero prærogativa muneris aut privilegii, incolumi natura reipublicæ evalescere potest, ut conditione subditi is

F 4

fiat

* Rom. 13:1. c) Cavendum Principi ne sub specie religionis & ecclesiæ nova in civitate existat Respublica. Griebner Jurisp. N. Princip. pag. 181.

fiat superior. d) Hisce in vicem funda-
menti positis, quod præsentem excom-
municationem attinet: Quandoquidem
non armis mere spiritualibus, neque ad
effectum spiritualem producendum, (quip-
pe in homine per pœnitentiam reconciliato
supervacuum) imposta fuit. Sed
in suis circumstantiis spectata, externum
tantum & civilis emendationis finem re-
spiciebat, quem ex usu civitatis & eccle-
siæ moderari penes solum Principem est;
e) Eandem quoque ceu rem ad abolen-
dam reverentiam & subjectionem, quam
subditi, præsertim ministri ecclesiæ de-
bent magistratui, apprime comparatam,
injustitiæ postulare non dubitamus, quan-
tam cunque consilio & eventu suo in po-
steritate dominantis papatus, laudem &
æstimationem inveniat. Solvere cingula
Regum

d) conf. Puf. Diff. Acad. de rep. irreg. §. 20.
*e) Quod si imperitia spiritualium & litterarum
legis impedit quo minus aliorum privato
arbitrio permittatur pro lubitu excludendi
potestas: videri poterit periculum domina-
tionis & imperitia prudentiae civilis non
minus impedire, quo minus jus excommu-
nicandi relinquatur Pastoribus suo arbitrio
exercendum. conf. Thomasius.*

Regum solius DEI est & ad ejus secreta judicia pertinet: quam si mortales sibi arrogare prælumant auctoritatem, mysterium iniquitatis habebitur illius, qui exaltat se supra omne id, quod DEUS dicitur, non DEum solum, sed & Reges & magistratus legitimos. Quam ob rem non possumus non probitatem demirari J. Chrysostomi, quem Eudoxiam Augustam prohibuisse aditu ecclesiæ admodum pœnituit f): Et propterea indiscreto Ambrosii zelo, opponere magis discretam Gregorii Thuronensis Episcopi correptionem, Chilperico Galliæ Regi factam: *Si quis, inquit, de nobis, justitiae tramitem transcendere voluerit, a Te Rege & Princepe corripi potest. Si vero Tu excesseris, quis Te corripiet? Loquimur enim Tibi, sed si volueris, audis. Si autem nolueris, quis Te condemnabit, nisi Is, qui SE pronunciavit JUSTITIAM,* g)

§. V.

Consequens denique est, ut breviter declaremus, neque debitam heic adhibuisse circumspectionem Ambrosium, immo huncce ejus zelum nulla prorsus pru-

F 5

dentia

f) vide Beccman. parall. pol. c. XII. 7. g) lib.

V. 18.

dentia fuisse temperatum. Etenim sva-
det prudentia politica , cuius instituta
pietatem & religionem tueri potius quam
convellere arbitramur , svadet Principi
præ ceteris mortalium nonnihil indulgen-
dum esse , & ad ejus delictorum publicam
censuram , qualis est excommunicatio , si
quando justa censeatur , caute & lente
procedendum esse , ne ecclesia vel per-
eat plane , vel majoris aliquid mali , quam
est tolerantia peccati , metuendum ha-
beat , si pertinax ille fuerit & emendari
nolit. Imo hanc in Principe coërcendo ,
Christianam prudentiam tanto magis re-
quirimus , quanto ullum neque excom-
municati Regis in scriptura existit exem-
plum , nedum mandatum Quin ex ad-
verso exemplis & experientia certius no-
bis perspectum habemus , aliquando et-
iam circa privatum hominem , ob mala
damnaque , ecclesiæ subsecutura , in primis
blasphemiae & defectionis scandalum , ea-
dem prudentia opus esse. Qui multum
emungit sanguinem tandem quoq; elicere
solere vetus est Politicorum proverbium.
Cujus veritatem axiomatis , Rex Svetiæ
πολιτικατατος GUSTAVUS Primus suo
exemplio illustravit , qui data Epistola ad

Laurentium Petri Archi Episcopum, de
fratris ipsius Mag. Olai contumacia con-
questus, nisi metueret scandalum defe-
ctionis ab ipso & ceteris novellæ religio-
ni initiatis, caussam poenæ infligendæ, se
in moribus illius multoties reperisse ait:

b) Han stickade sig offia fäledes emot ob/
at wi god rätt och ståhl hade hafst/ at låta
gå vårt tilbörlige straff öfver honom. Men
på thet *Evangelii* lärdom icke skulle ther ige-
nom komma på nogot fall/ hafwa wi offia
sedt igenom fingren med honom och stålt Gu-
di saken i händer/ som rättvisligen om all
ting dömer. Hanc cautionem & pruden-
tiam vere Regiam, si ad animum suum
altius revocasset Ambrosius, circa pium
huncce Principem, certe ad excommuni-
cationem majorem, ob peccata duntaxat
conclamata, infligi solitam, tanto cau-
tius processisset, quanto majorem pru-
dentiæ gradum præfens casus requirebat.
Incerti enim qvum maxime rerum sint
eventus antecedenter, cogitare omnino
quoque debuisset, in nervum & periculum,
penit' abolendæ novellæ ecclesiæ erumpere
potuisse hunc fervorem & imo Reipublicæ
quoq; ad secularia præpostere extensū reli-

gionis

b) *D. Spegels Ekriftelige Bewijs til Bistöps Chrönican* pag. 99,

rum Zelum. Quod exemplo Henrici Episcopi Upsaliensis ad amissim patet. Illi enim apud Fennos nostros conversio-
nis opus procurans, cum in Lallum quen-
dam, hujus regionis civem gentilem
ortu ⁱ⁾ ac munere magnum acrius in-
veheret & ob homicidium patratum, se-
veriore paullo coercere vellet disciplina
ecclesiastica, ludibrium & contemtum
religioni, sibi vero necem mortemque
,,acceleravit. Qui vero sine dubio mul-
,,to sibi Lalloque cædis reo consuluisse
,,melius, si e divinarum scripturarum,
,,Christianæque philosophiæ divite penu,
,,graves efficacesque promisisset rationes,
,,quibus placide ostendisset magnitudi-
,,nem admissi facinoris, iram DEI in cæ-
,,dium iniquarum auctores, suppliciique
,,eos manentis gravitatem, & nisi seria du-
,,cantur pœnitudine, perennitatem. Sic
,,haud dubie reducturus in viam, quem
,,rigore intempestivo fecit cædi cædem
,,addere, & utilem ecclesiæ Doctorem
,,tollere; quo sublato cum deessent qui
,,in rudes docendi munere succederent,
,,necessum erat iis in locis nuper cœptam
eccle-

ⁱ⁾ Claud. Oernhielm. in Hist. Eccl. Suio-Goth.
pag. 468. n. IV. 4. 9.

ecclesiam intercidere. Scilicet in magnis reipublicæ negotiis jus aliquando jure negligi potest. Et quemadmodum ex præscripto medicorum, mitia fomenta magnis vulneribus admovenda sunt: ita in fatalibus rerum publicarum morbis, si periculum sit ne Agis quidam in instruenda re civili, Lycurgi exempla imitari volens, fructu boni publici pariterque, vita excidat: satius est defungi levioris mali tolerantia, quam duplicato morbo, civitatem inevitabili πανολεθρίᾳ discrimini exponere. k)

§. VI.

Quid? quod moderationem hancce: qualem docuimus sive pastoralem sive politicam, statui Hierarchico prisca temporibus neque penitus ignotam, quin in clericos peccantes nullo non tempore, in primis vero primariam ecclesiæ dignitatem ad nauseam & suspicionem usque adhibitam invenimus. Quis nescit in historiis regnare Silvestres, Hildebrandos, Paschales, Johannes, ceteros, qui idololatriæ,

vene-
k) *Conf. Bacon. Verul. Oper. p. m. 1530 ubi re-
percussi cum ludibrio Pontificum Ecclesiastici
hujus fulminis exempla adducuntur.*

veneficii, bestialitatis aliisque sceleribus, in primis exercita in Reges atque regna tyrannide, suam furiis consecravere sanctitatem. In illos qua tales, cum, cum, procul omni dubio, stringendæ ecclesiasticæ censuræ suæ idem jus eandemque potestatem sibi divinitus concessam habuerit Ambrosius, ejusque in ministerio sacro successores reliqui: si non tuendæ infallibilitatis opinione, aut saltem scandali in ecclesia adeoque majoris mali effugiendi caussa, ab illis excommunicandis abstinuerunt, profecto in præsenti facto incertus Zeli, ex quo fonte proruperit, justam caussam invenirem requiri, cur omissa ejusmodi censura debita & concessa, ¹⁾ in Imperatorem Dominum pium & pœnitentem, neque ulli coercitioni humanæ obnoxium tam acriter & acerbe detonuerit. Eum quem modo diximus finem, cum non potuerit non respicere intermissa Pontificum excommunicationem, si quam excusationem invenire queat: cur in Principe gentium, quem soli DEO peccare Hieropsaltes ait Ps. si eandem mansuetudinem non adhibuit, sed in rigorem ecclesiæ & reipublicæ penitio-

¹⁾ Conf. Jägerum Hist. Eccl. Polit. I. I. p. 91 fin.

niciosissimum permutavit? Cur non Principibus potius quam Papis dictum sit: *Prima sedes a nemine judicatur.* Ruffino, cui faces exstimulatae iracundiæ, consilium nempe cædis perpetratae privatim objicit, & per quem Imperatoris latus magis modeste appetere potuisset, censuram publicam remittit. Cur non eadem in Imperatore quoque externa meriti satisfactione contentus? Concludimus, non solum indulgentiæ in gregales aliosque præpostere exercitæ, sed & eventus improvisi, incerti & periculosi intuitu, in præsenti Ambrosii facto nullam comparere circumspectionem, nullam æquitatem; sed potius temeritatem, non facile cuiquam præterquam Ambrosio bene censuram.

THESIS QUARTA

Antithesin examinat illorum, qui caussam Ambrosii vana excusatione defendunt.

S. I.

Pro palliando tanto in tam magno Præsule nævo, politiæ papizantis vulgus inter alia, quæ ex decretis & canonibus suis ecclesiasticis, in vicem fundamenti,

hypo-

hypothesi suæ substernere solent, distinctionem inter jus circa externa & interna sacrorum, per aliquot secula animis Laicorum, tanquam articulus fidei impressa familiam dicit. Principibus competere ajunt potestatem circa externa in ecclesia:clero autem ecclesiæ & sacrorum jus, seu potestatem circa interna, quorsum excommunicationem hanc ceu censuram Ecclesiasticam referri volunt. Bene ista quidem, si externa & interna ecclesiæ, ab invicem ita evidenter sejuncta essent, ut plane nulla confusio, adhibita ista distinctione, nedum rei obscuræ per æque obscurum, interpretatio metuenda esset. Si ad mentem adversariorum explicanda, commento illorum vano atq; futile de hierarchica potestate, majestatis potestati analoga, admodum inservire videtur. Nos prout neque simpliciter rejicimus hanc ipsam distinctionem, sed solum haec tenus improbamus, quatenus communiter docetur hoc utrumque jus esse collaterale & ab invicem independens: m) dicimus hac distinctionem.

m) *Cujusmodi diuturna possessione usurpatum Episcopis Svetiae detraictum fuit vi constitut. Arosiensis An. 1528. cujus sunt verba:*

Alla

distinctione utriusqne partis rationem munieris, circa quam rem præcipue & quodam peculiari modo verletur, indigitari: non quasi altera ab omni internorum, altera ab omni externorum cura atque observatione sit excludenda. Quamvis enim Princeps non ipse docentis munus suscipiat, non sacra faciat: qua talis immediate neque homines convertat a pravitate vitæ ad pietatem & verum Dei cultum. Illud enim officium, divinitus institutum ad ministerium ecclesiasticum præcise spectat. Non dubitandum tamen, quin ubi foras, ad actus, ut ita dicam, imperatos transitus fit, & moderatione, emendatione aut directione opus habent istius modi religionis, quæ vocantur interna, ad magistratum civilem æque pertineat, curare populi sui animos sacra doctrina imbuendos, providere ecclesiæ, ne docentium corruptelis & malis moribus

G cont-

Alla the sakören / som lagboken inn hösler och efter sedvänjön fallas bishops sakören/ the fallas icke längre Biskops satores utan räknes tillhöpa med Konungens / och böte icke utan under et Herrskap. Conf. Chr. Thomas. suplem. dissert. de jure S. P. circa sacra cap. I. §. LVIII. pag. 457.

contaminetur &c. atque curam decentis ordinis disciplinæque, ex præscripto legum fartæ teatæque custodiendæ a munere & officio ministrorum ecclesiæ neque abhorrere contendimus. Quemadmodum ex hac adhibita distinctionis expositione, neque totum religionis negotium ad arbitrium & dominationem Principis devolvi, neque Atheismi impietatem, cuiquam juste impingi posse, contra Zieglerum *n*) sumus perswasissimi. Iстos autem sacri muneric sui limites modo memoratos, quacunque cura & artificio extenderimus, cum revera transferit Ambrosius, neque contentus violentia suo muneri attemperata, morali scilicet, pœnam externam cuivis civium, certe Principi infamem adjecerit. *o*) Plane non videmus quomodo ex allata distinctione aliquod Ambrosiano facto munimentum construi, & jure ministerii atque politiæ utrinque illibato, obtendi possit.

§. II.

Inter nuperimos levis armaturæ hyper-

n) de juribus Majestat. *o) Invisum ignomina Principem seu bene seu male facta pre-*
munt.

peraspistas apud exteris Vir Juvenis eruditus peculiari dissertatione, contra annalium fidem extenuare aggressus est factum hoc excommunicationis, ejusdemque justitiam, quantum in se quidem, extra omnem prope aleam dubitationis collicare. Præterquam enim quod ad elevandam seditiosæ civitatis culpam, exaggerandamque exercitæ ab altera parte *tyrannidis* immanitatem, obtendat: urbem neque personam imperantis; neque imperium ejus directe lèfisse; quod politicotum ante Cl Brunstium neminem asserruisse credo. Imperatori deinde quoque contumaciam affingit, quasi, *Adeo nullæ facti sollicitudine tactus fuerit, ut ne quidem deliquerisse se senserit,* Episcopum nullo duriore verbo aut gestu Imperatorem violasse: atque adeo non violentam fuisse exclusionem & per vim extortam, verum spontaneam, per coactionem mbralem & internam obtentam. Ambrosiumque tyrannidis & insaniae postliminio insimulanten adventum Principis, excusationem mereri, quod existimaverit accessisse Theodosium sine admissorum deploratione vi atque impetu ad sacra mysteria provotaturum. Quasi non ipse pio & verecundo ore, ante pœ-

nam irrogatam , procedenteque excommunicatione, per ministrum corde & ore contrito vinculi laxationem implorasset. p) Taceo ceteras paradoxologias, quib⁹ ad colorandum Episcopi factum utitur, utpote: peccata publica publicam absolute pœnitentiam exigere: nulli in republica societati denegari posse facultatem a se removendi illos, qui adversus prima ejus fundamenta impingunt: quod adeo verum, ut ne quidem ulli opificum collegio hæc potestas adimatur, aut jure eripi possit. Et proinde Ambrosium , cum hominem quendam contra prima societatis Christianæ fundamenta peccantem, homicidam excluderet, nihil sane peccasse , aut in jura majestatis magis involasse quam Johannem , cum Herodem, prout merebatur, objurgaret. Denique imperium principis nil detrimenti aut contumeliæ passum fuisse, quod DEO hunc honorem exhibuerit , labemque spectantibus aliis hominibus agnosceret & deprecaretur. Sunt hæc talia , quæ partim historicorum nomini & ceterorum, qui de hac excommunicatione , quamvis diversimode judicarint, omnem fidem admunt: partim in Principem nostrum, at-

que

p) Theodoret, lib. V, 17.

que adeo imperii, quod a DEO habuit, majestatem injuriosa. Et quia ex antecedentibus, quod spero, hæc omnia executi aliquomodo atque dijudicari possint, ulteriore eorum examine in præsentia supersedeo. De censura ecclesiastica, quam adeo non *contumeliam*, ut *potius honorem* attulisse ait, ipsam non solum indolem humani ingenii atque naturalem rationem testor: publica ex actione famosa omnium in oculis facta animadversio, an non ignominiam, h. e. pudori existimationique labem adferat? Sed ad ipsam quoque experientiam provoco, annon publico hoc pœnitentiæ ecclesiasticæ honore ita affici soleant adulterii & scortationis rei, ut gravioris peccati suppliciique, periculo, multis se obstringere, quam eodem, palam populo, defungi, malint.

THESIS QUINTA.

Quam iuriteis, quamque pietatem Imperator excommunicatus, ostenderit, monstrat; simul quando ab Episcopo vinculis laxatus.

§. I.

VIdimus sic & qua potuimus brevitate consideravimus Ambrosium utilem
G 3 ordinis

ordini suo pietatem officiosissime exequentem, vidimus illius in Imp. Theodosium, ex affectu privato aut praeconcepta opinione præpostorum rigorem, nulli rei utili, nisi ut materiam suppeditaret curiæ Romanæ, hujusce audacter exercitæ potestatis ecclesiasticæ exemplo, thema suum instaurandi in posteritate, Papatus politici magis animose illustrandi. Consequens est ut ad probandum ea, quæ circa excommunicationis injustitiam a nobis antea allata sunt, seqvuti filum historiæ, porro expendamus, quæ excommunicati conditio fuerit, durante eadem; & quibus cærimoniis demum vinculis solvi Imperatotem necessum fuit. Excommunicatus a communione ecclesiæ Theodosius, quamvis molctæ Præfulis sedulitati regerere potuisset verba comici, paululum immutata: *Tua, quod nil refert, curare desine;* tamen majorem in modum sortem suam lugens ad palatium reversus est: ubi integris octo mensibus, deposita omni celsitudine imperatoria, vultum & ora, immo ipsum solum lacrimis rigavit; q) misericors Numen humillimis obsecrans precibus, ut sibi refipiscenti reditus

q) Theodoret, in H. Eccl. lib. V. cap. 17.

tus vicissim in illius gratiam pateret. Atque sic seria omnino pœnitentia, peccati condonationem imploravit & certo penes DEum impetravit. Postquam vero per longum hocce satis temporis spatium, in luctu & squalore miseram egisset vitam, vinculis plus arctis, ab Episcopo laxari iterum, Ruffini aulæ suæ ministri ore (cui canum impudentiam exprobavit Ambrosius) implorvait: multisq; deinceps etiam in vicem supplementi, ab Episcopo severo Regum censore r) choragiis s) cum ludibrio defunctus tandem obtinuit. Plures ad demonstrandam excommunicationis hujus justitiam circumstantias ex historiis allegare non vacat. Sententiae nostræ colophonum, suffragium addimus Cl. Rechenber-

r) Baron. Annal. Eccl. T. IV. ad an. 390. p. 637.

s) Quo nomine præsertim intelligimus publicam repulsam considendi loco intra sacra-
rii cancellos imperatoribus consuetos. Interiore enim honoratioraque, cum solis sacerdotibus patere vellet; imperatorem cum ceteris Laicis communiter ante sacrarum cancellos assistere jussit: Ita ut populum imperator, imperatorem sacerdotes ratione ordinis antecederent. Vid, Se-
zomen. & Theoder. citatis locis.

chenbergii : Theodosium primum inter
 „Christianos Imperatores modestiae exem-
 „plum præbuisse, quod Pontifices Roma-
 „ni postea insolentiores facti instar regu-
 „læ allegare & abuti sæpius non dubita-
 „runt. t), Quidquid vero ex Theodosio
 mirati sumus, manet mansurumque est in ani-
 mis hominum, in eternitate temporum, fama
 verum. u)

THESIS SEXTA.

Actum ultimum vitæ mortisque, THEODO-
SII M. edifferit.

§. I.

Vidimus sicquidem Magni hujus Impe-
 ratoris domi militiæque, heroica fa-
 cta. Vidimus simul illius in negotio re-
 ligionis summam pietatem, in vita mo-
 ribusque sanctitatem, in hostibus sub-
 jugandis miram felicitatem. Vicit enim
 Theodosius præliis ; vicit bello : Et quo-
 ties

8) Eadem ve ecundia & moderatione, qua im-
 perator noster Svenonem Ilphonidem (vulgo
 Estrithium) Danie Regem , in non di simili
 casu contumeliam excommunicationis
 ab Episcopo quodam Danie excepisse Saxo
 G. Hist D. L. XI & Ericus Upsalensis lib. II.
 vestantur. u) G. Tacit. in vita Jul. Agric. c. 46.

ties infesta in hostem signa movit, ab adipice fortium, ut phrasí S. utar, gladius magnanimi, auspicio divino securi nunquam revertebatur inanis. Hunc tam gloriosum, pium & clementem Imperatorem, subita fatorum vi, maximo cum orbis Christiani mœrore, abreptum fuisse, præeunte Ruffino aliisque testatur Baronius x) cum exordium anni, nempe nonagesimi quinti, seculi præsentis, *Christiano orbi maxime luctuosum acerbissimo novo casu, obitu Theodosii*, asserit. Tempus quo mortem obiit Theodosius statim post reportatam de Eugenio victoriam; de qua, ut & vita fine continuo appropinquante Joan. Monachus Imperatorem multo ante monuerat y) incidisse videtur, quidquid dissentiant alii nonnulli. Statim enim obtenta illa victoria, Mediolani affectum morbo corpus suum sentiens, curis jam ante exhaustum, non illætabile lethi præsagium ipse cepit. Tantoque & tam subito ardore febrilem æstum viscera ejus corripuisse testatur Socrates, ut adventum designati successoris filioli sui præ interveniente fato vix ac ne vix

G s quidem

x) *Bar. Annal. Eccles. T. III. in An. Chr. 395. n. XXI.* y) *Sozom. H. E. lib. VII. 22.*

quidem præstolari potuerit. Illum enim successorem nuncupatum, cum jam suum
 z) h.e. lethi diem appropinquare videret, Constantinopoli arcessivit, non solum
 ut certamina equestria ob victoriam a Tyranno partam, suo nomine institueret, sed
 in primis ut imperii, se vivo, occupandi
 stabiliendique, potestatem ficeret adver-
 sus civium, si quæ metuenda esset, con-
 tumaciam; quam, licet sibi felicitate im-
 perij munito obstrepere non auderet, ve-
 rebatur tamen, ne in filium minorenem,
 & artibus imperandi inadsvetum, turbas
 & indigna plurima excitare aggrederetur.
 Hac defunctus cura Reip., præsentibus
 Arcadio & Honorio Augustis, urbis Se-
 natum, ut abjecto cultu idololatrico, (cu-
 jus falsitatem bello intestino contra Eu-
 genium nuperrime experti fuissent) Chri-
 stianam fidem amplecterentur, non ipsi
 solum, sed & cives, suo exemplo ad idem
 faciendum, exstimalarent, ferio cohortatus
 est. Et quamvis nil proficeret
 consilium ejus sempiterna memoria di-
 gnum, adeo tamen ab operis hujus Zelo
 non cessavit, ut ipso quoque Ambrosio
 teste, eum corpore solveretur, magis de
 statu

z) *Dial. de Orat. c. 13. 8.*

statu Ecclesiarum, quam de suis periculis angeretur. Et sicut Christi mortem terræ motus vehemens excepit, ita Theodosio moriente, Christiani cultus assertore acerrimo, tanto horrore subsultasse narratur, quanto a ventis agitata corpora identidem vibrari solent. Sol etiam, tenebrarum, queis doctrina Evangelii iterum involveretur, portentum, eclipsin passus est. Nam ante ejus obitum gravissimos faisse terrarum motus, caliginem & nebras insolitas, Ambrosius plane testis est. ^{a)}

§. II.

Theodosio vero rebus humanis exemplo robur & dignitas militaris & quasi Martii imperii Romani simul quoque labacere cœpit. Cum enim morte illius, immo constitutione multo ante mortem, duo regna existiterunt, non alii usui, quam ut mutua collisione alterutrum in arctas angustias redactum repente fatisceret, fatalem re & nomine mortem illius fuisse, omnemque Reipublicæ & Ecclesiæ tranquillitatem abstulisse, Politorum Patres diu censuerunt. Nos qui vitæ fortitudinem & piam regendi prudentiam, certe rasque

^{a)} in fun. Theod. Paneg.

rasque virtutes ejus ab omni vitiorum admistione (qualem in heroicis ingenii non raro quoque deprehendere licet) plane immunem pronunciare non audemus, hoc ipso facto & præpostero in Filios amore, si exitum respiciamus, multo maiorem cladem civium, quam cæde Thessalonicensi procurasse non dubitamus asseverare. Illa enim pietate Fratres, (quamvis si concordes illi fuissent, regni pars sua cuique abunde sufficere potuisset) in mutuas cædes invicem armati, quasi signo sublato, barbaris e vicina imminentibus securiorem in provincias irrumpendi adiutum patefecerunt, & denique Italiam orbis Dominam turbis & cædibus & ruinis dilaniandi. Observat hunc eundem, in Theodosio nostro errorem Politicum, Pacificus a Lapide b) dicendo : *Hic Imperator, postremus Romanum imperium, in occidente & oriente integrum tenuit. Eclipsin tamen rationis in eo passus, quod rebus omnibus feliciter gestis, duos filios confortes Imperii fecit, Arcadium orienti, Honorium occidenti præficiens. Sic enim pro uno, duo regna existere, nulli*

b) *Not. & Strict. in Sever. de Monzambano, Discursu VI. §. IV. pag. 254.*

„nulli alii usui, quam ut divulsus orienti
 „occidens, barbaris eo facilius succumbe-
 ret. Quod respexisse Boxhornius ^{c)} quo-
 que videtur, ubi Theodosium M. melio-
 rem ecclesiæ, quam imperio Principem vo-
 cat. Essent in rebus gestis divi hujus im-
 peratoris varia adhuc observatu & me-
 moria dignissima, sed quoniam potiora
 tantum attingere momenta, nobis ab ini-
 tio propositum fuit: hæc pro ratione in-
 stituti circa nobilissimum hocce argumen-
 tum Historiæ Politicæ, rudi licet Miner-
 va delineasse sufficiat. Cum voto finien-
 da dissertatio est. Conservet DEUS PA-
 RENTEM PATRIÆ optimum, Orbis
 Arctoi delicum, Regem nostrum Sere-
 nissimum FREDRICUM I. Muniat
 Thronum sempiterna pace & felicitate
 omnigena, ut sub illius augusta & tuen-
 dis gentibus auspicatissima Majestate, di-
 vinis legibus religiosum obsequium con-
 stet, patriæ universæ dignitas & libertas
 efflorescant, literis & artibus honestis ju-
 stum pretium decusque suum maneat, &
 denique prosperi rerum successus univer-
 sum Sveciæ Regnum, publice & privatim
 exci-

^{c)} in Chronolog. ad A. Chr. 379, pag. 48.
 c. 49.

excipiant. Ut REGI nostro P' O, AUGUSTO, FELICI, adclamare liceat solemnne illud :

**SIS FELICIOR AUGUSTO
MELIOR ET TRAJANO
ET THEODOSIO.**

SOLI DEO GLORIA.



Ad

Clarissimum Dominum CANDIDATUM
HENRICUM ALANUM,
Per annum ferme temporis spa-
tium studiorum meorum Mode-
ratorem per quam in-
dustrium,

cum

elegantis suæ Dissertationis
De THEODOSIO M.
Partem ederet posteriorem.

Postquam haud ita pridem heic
innotuit, Clarissime Domine
Candidate, eruditam Tuam Dis-
sertationem, ut vocant, Gradua-
lem, sub prelo Holmiæ sudare, Te-
que propediem iterum in publicum
esse laudabiliter proditurum; mi-
hi sane temperare non potui, quin
stile, licet incomto, applaudentis
fungi conarer officio. Monuit enim
doctrina & eruditio Tua, haud sa-
ne vulgaris, jussit singularis animi
candor & probitas, quin efflagita-
runt studia in me Tua, & merita
præclara; ut non tacite modo, sed
etiam

etiam publice Tuas celebrarem laudes, simulque gratum erga Te animum, quantumcunque possem, hac data occasione aperirem. Impense itaqne tibi gratulor, Clarissime Domine Candidate, cum magnam ingenii felicitatem, tum summam in studiis industriam atque diligen-
tiam, & his amplius conjunctam singularem morum suavitatem, vitæq; integritatem ; quibus omnibus optimos quosque tibi benivolos redidisti atque faventes. Gratulor denique insignes, quos jam jam adepturus es, honores Academicos, quibus Te, & alias aliis, & nunc luculento hocce specimine multo præstitisti dignissimum. Plura de Te lubens adderem ; sed & temporis angustia, & Tuamet ipsius modestia prohibit. De cætero, calidis ego votis supremū Numen Divinum nunquam non fatigabo, velit te salvum & incolumem diu conservare, optimisque conatibus Tuis ita in posterum adesse, ut præmia assidui laboris, eruditionis ac virtutis, tibi brevi contingant uberrima, lætissi-

ma. Ego vero perpetuo futurus sum.

Tui

Dabam Aboæ iþsis Nonis

Octobr. A. MDCCXXV.

obſervantissimus

HERMANNUS JOH. HERTZ.

Ἐνδοξότατε Κύριε Δεξιόμενε, Διδάσκαλε
πιστήτε.

Eπειδή περ μοι, Διδάσκαλε Τιμώτατε,
ἀφορμὴν τὸ συγχάρειν σοι παρέχεις,
ἀυτὸν ἀμελεῖν γ' πρέπει καὶ περ τὸ πρόποντό
τὸ συγχάρειν τάτου, μοὶ ἔτι υηπίαι,
εἰδίλλια ὄντος, ὅμως τῷ τοῦ ἐνδοξότατου
Κυρίου Διδασκάλου μη ἐντάλματι ἐνδεκτά-
τῳ ὑπακόντιν δέοντος γένει δὲ ἄλλο τοιεῖν δύνα-
μαι, οὐδὲν εὔχεσθαι, ἵνα θέλῃ ὁ Θεὸς ὁ πα-
τέρας, πλὴν ἄλλων, ἀμαρτυρούσας χαρά-
σθεῖται τὸ Θεοδοσίου τὸ Μεγάλον τὸ Ρωμαϊκόν
Σεβατόν, τὸ τὸν ἀρετὴν τὸν ἱεραρετὴν εὐδόκιον διατρί-
βεις ἀρκόντως διαγέγραφας, σοι μεταδιδόντας
ἵνα τὸ πατρίδι καὶ τοῖς συγγείσι σὺ εἰς
Χριστὸν εἴης περιπότητον. Ταύτα ὀλίγα αὐτῷ
ἔισαν, τὰς πιστὰς ταπεινῶς μη κέατος εὐθυ-
μῆσαις γάρ ικανῶς ἐκφέρειν δυναμένος, Φι-
λαργυρόποτος ὑποδέξεσθαι σε ἐλπίζω.

Δαμ-

Λαυτροτάτε Κύριε Δέξιμένη, δίδα-
σκάλε με Ἀιδεσίνε

Δύλος Ταπειότατος
Δανιήλ Ἰστλήνιος.
οὐ Τιωρεύς.

§il

Höglärde CANDIDATEN,
Herr HENRICH ALANUS,
Då han sin Gradual Disputation lät
i liuset fram komma.

Seer jag nu at wett / at lär-
dem / wackra sedor/
At möda/ wakand' fljt / skull' mo-
get afseend' ha/
Ty prof af witterhet / I framteen
nu : at ta
Så sedan wårdigt mot / en Lager-
Crantz til heder/
Den Ehr / vid Helicon , af Nijo
Systrar liåra/
Blir bunden / täcker knyt: Mig
tycks huc himlens nåd/
Med lyckans blida wind / i lefnad/
råd och dåd/
Ehr signar / at Ert Namn och tijd
har ståndig åra!!!

CARL SUND.

Nylandus